Divino Favente Numine

DISSERTATIONEM

*DE*

# ALEATORIBUS,

Autoritate ac Permissu

*Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi Jure-Consultorum in celebratissimo ad Salam Athenæo Ordinis*

PRÆSIDE

*Viro*

*Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo,*

**Dn. JOHANNE THOMÆ**

J.U.D. & PP. Famigeratissimo, Consiliario Saxonico, Facultatis Juridicæ, & Scabinatûs Adsessore gravissimo,

*Dn. Patrono ac Præceptore suo omni observantiæ ac honoris cultu æviternum venerando, colendo,*

Publicè examinandam proponit

ERASMUS Landenberg

Regiomonto-Prussus

Aut. & Resp.

In Auditorio JCtorum

ad d. Aprilis

---

*JENÆ,*

Litteris GEORGI SENGENWALD.

M DC LI.

VD17 1:004542T

Verfasser:
Thomae, Johannes *1624-1679*
Landenberg, Erasmus *1652*
Titel:
Dissertationem De Aleatoribus, Autoritate ac Permissu ... ad Salam Athenaeo Ordinis Praeside ... Dn. Johanne Thomae ... Publicè examinandam proponit Erasmus Landenberg ... Aut. & Resp. In Auditorio ICtorum ad d. Aprilis
Erschienen:
Ienae : Sengenwald, 1651
Kollation:
[12] Bl. ; 4°
Fingerprint:
m.d- i-o- r-tæ Antu C 1651R
Sprache(n):
lat
Anmerkungen:
Schlüsselseiten aus dem Exemplar der SBB-PK Berlin: Fi 156

Körperschaft(en):
Universität Jena

Ort(e):
Jena
Verleger/Drucker:
Sengenwald, Georg. - Jena (1642-1669)

Gattung/Fach:
Dissertation:jur.

Exemplar(e):
<1a> Staatsbibliothek zu Berlin - Preußischer Kulturbesitz
Signatur:
33 an: Fi 156


<7> Göttingen, Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek
Signatur:
COLL DISS CELL 40 (23)
Bemerkung:
Stück 23 von 42 in Sammelband

<14> Dresden, Sächsische Landesbibliothek / Staats- und Universitätsbibliothek
Signatur:
Diss.jur.civ.35,12

I. N. D. N. I. C.

DUlcissimis concessis modò Halcydoniis, ac pace, pace exoptata cœlitùs reductâ, placida compostos quiete, frui eâ (ast diu!) Celsissimum Numen clementissime voluit. Sed hominum indignamur perversitatem, quos tranquilla vita ad varia vitiorum genera invitare adsolet. Mirantur fortissimum, quem vidit, imò visura est ætas, Heröem Alexandrum Historiæ, quem, ut primum instantibus curis laxatus est animus, militarium rerum quam quietis otiiq; patientior, voluptates excepère, & quem arma Persarum non fregerant, vitia vicerunt. Húc quem paulò ante victricia reportare signa cerneres, mox deliciarum blanditiis victum deprehendis. Aliorsum si flectis oculos, insatiabilem aleæ cupiditatem quosdam explere vides. Modò hinc emanantia jurgia, lites, clamores, injurias ludentium audis, qui eò sceleris progrediuntur, ut fraudem, dolum, latrocinia, furta, homicidia, blasphemias virtutes esse non diffiteantur. Improbandam horum audaciam, quisquis adsentietur. Idq; haud injuria. Quis enim immodicum illum aleæ usum ingenuo homine dignum dixerit? quis non erubescat, si sortis suæ gratiam non virtuti debeat, sed taxillis? quis fritilli cautelam suæ prudentiæ non doleat anteferri? bis stultus hic, quod fortunas suas fortunæ committat arbitrio. Inter probra, scelera & immanitates Neronis hoc etiam notatur, quod quadringentis sestertiis punctum bis senum aleam luserit. Quæ cum ita sint, siste, siste aleator sceleratissime, ac cum labem tuam detegere nobis sit animus, quanta sis maculatus, audi. Hanc nisi deterseris, carcerem, vincula, fustem, plurimaq; tibi parata supplicia scito. Sed nos adsistente divinâ gratia transimus ad discursum.

## NOMEN ET ORIGO.

1. Leam † in genere omnem eum ludum dicimus, in quo casus & fortuna sibi solis vindicant imperium: in specie verò talorum aut tesserarum jactarum è pixide vel fritillo ludum intelligimus cum Cujac, in *parat. C. h. t. Sichard. ad rubr. C. eod. Henr. Zœs. in comm. ff. hic. nu. 1. Go-*
2. *thofr. ad rubr. C. hic.* Etymologicam † autem vocis aleæ derivationem vix apud quenquam invenies. Cæterùm Laur. Valla *lib. 1. eleg. c. 8.* dicit descendere voculam aleator à verbo quod nusquam reperitur. Non enim aleare dicimus, sed alea
3. ludere. Alibi † verò prædictus Valla differre ludum à lusu sivè lusione asserit, ita ut ludus tum periculum tum spem sibi propositam habeat, lusus verò nihil præter meram voluptatem desideret. Atq; sic qui recreationis gratia pila, tesseris, trocho vel quocunq; talorum genere ludunt, lusus quam ludos potiùs eos facere mavult. Cui differentiæ illud Ciceronis *de senect.* adblandiri videtur: Nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant & tesseras. Hinc meritò ludum aleæ quàm lusum rectiùs usurpari apparet, propter lucrum instans, quod aleator lambente quasi lin-
4. gya expectat. Sed † indistinctè hæc vocabula Imperatorem nostrum accipere patet ex *t. t. in ff. & C. de aleat.* imò sæpiùs voculam lusus quàm ludus aleæ applicari videmus. Non erimus itaq; hîc soliciti, cum utrumq; rectè dici textus allegati demonstrent. Et
5. cum † casus in aleæ certamine præpolleat, propterea cuncta, quæ incertis casibus subjacent, aleæ commissa dicere solemus. pro ut hac significatione quoq; utitur *l. nec emtio. 8. §. 1. ff. de contrah. emt. & Horat. lib. 2. od. 1.*

Periculosæ plenum opus aleæ
Tractas.

Notissima est vox C. Cæsaris apud Sveton. *in eod. c. 33.* Eatur, inquit, quo Deorum ostenta, inimicorum iniquitas vocat, jacta
6. est alea. Porrò † originem aleæ lusus adscribimus Lydiis Asiæ populis. Annonæ enim caritate tempore Atydis Manis regis filii per universam regionem invalescente, famem urgentem ad ex-

plen-

plendum se quæsiisse remedia, tandemq; aleam, tesseras, pilam, aliaq; ludorum genera invenisse. Quibus altera dierum, ne curâ quærendorum alimentorum angerentur, in totum occupati fuêre Lydi, altera ab eis cessantes, caperent residua, Petr. Greg. Tholos. *in syntag. jur. univ. lib. 39. c. 4. n. 9.* Ita † fames Alexandri M. exercitum radices palmarum rimari, his verò deficientibus jumenta & equos cædere coëgit. *Curt. lib. 9. c. 10.* Galliam etiam fame invadente, Rex Clodoveus ei ut succurrat, thesauros & opes, quibus ædem D. Dionysii pater Dagobertus ornarat, aufert. Alii † Lydorum juvenibus hos ludos adscribunt, qui diebus festis populum his delectare soliti fuêre. *Luc. de Penna. ad rubr. C. de expens. lud.* 7. 8.

*Membr. II.*

## ALEÆ PROHIBITIO.

1. Lusum † aleæ jure naturæ ex se se licitum asserere possumus, conventionem enim in eo intervenientem ex utraq; parte æqualem ac proindè justam fieri posse liquidò constat. Nam dum ludentes administrationem rerum suarum liberam habent, liberè quoq; propter naturalem facultatem de iis sic disponere ac quasi conditionalem contractum inire poterunt, ut cui fortunæ taxilli feliciter ceciderint, is suam & collusoris pecuniam recipiat, cui infeliciter, appositæ jacturam faciat. Did. Covarruv. *tom. 1. part. 2. relect. c. peccatum. de R. J. in 6. § 4. n. 1. & seq.* Molina. *tom. 2. de J. & J. disput. 510. tract. 2. n. 3.* Paul. Layman. *lib. 3. Theol. Moral. tract. 4. c. 21. nu. 1.* Huic † verò contractui conditionem à fortuna vel futuro eventu dependentem rectè adjici, ita ut illicitus non reddatur, ostendit Covarr. *d. l. per l. si quis ita stipulatus fuerit. 129. de V. O. & l. si pater. 12. C. de inoff. testam.* quem secutus Rauchb. *quæstion. jur. Civ. & Sax. 25. nu. 71. & seqq.* Ast † cum aleæ lusus ex multis accidentibus honestetur, ex plurimis etiam vitietur, juri Divino, & in eo septimo ac ultimo Decalogi præcepto repugnat, quippe contra charitatem ac secundum cupiditatem fieri censetur, quia quærit quæ sua sunt cum damno alterius, & sanè non ita quæ sunt alterius, sicut quę sua sunt, ut loquitur D. Lutherus in explicatione septimi præcepti. *Magnif. Dn. Carpzov.* 2. 3.

4. *part.3.prax.crim.quæst.135.n.2.& seq.* Quin † & dum eodem ju-
re multo sudore ac labore victum quærere jubemur, *Genes.3.*
*17.& 19.Prov.11.4.Prov.12.11.* illicitis artibus & lusionibus ab-
5. stinuisse satius erit. Naturalis † quoq; juris regula aleam im-
pugnat, quæ cum alterius detrimento, jactura vel injuria lo-
cupletiorem fieri vetat *l.nam hoc natura.14.ff.de condict. indeb.*
*l. hæc conditio.66.ff.eod.l.si pupilli.6.§.sed etsi.3.ff.de neg.gest.l.ju-*
6. *re natura.206.de R.J.c.locupletari.48.de R.J.in 6.* Per aleam †
autem cum injuria ac damno proximi facultates augeri testa-
7. tur Magnif.Dn.Carpz. *d.loc.* His accedit † jus civile & Cæ-
sareum, quod præ cæteris aleam odio habet. *t.t.ff.& C.de aleat.*
Illam deterrimum prodigalitatis instrumentum appellat
Wesenb. *in parat.ff.de aleat.n.1.* & lucrum ex ea factũ horren-
dum & detestabile esse vult Luc. de Penna. *ad l.saluberrima.C.*
8. *de litter.& itin.cust.n.2.* Nam † latronibus & mortuorum
spoliatoribus comparat aleatores, qui turpis lucri gratia ma-
ximo cum periculo negotiantes opprobria sustineant, & ami-
cis, quibus potiùs dandum aliquid, ut vultures ungvibus idem
9. eripiant. Imò † canibus aleatores comparantur rabiosis.
Nam quotquot in suum pertrahunt sodalitium, eos in discri-
men adducunt conscientiæ, existimationis & fortunarum.
10. Aut. Horol. Princ. *lib.2.n.438.* Apud Mahumetistas † luso-
res pro pecunia quocunq; genere ludi ignominia affici, dein-
ceps etiam graviori supplicio ex Cuspiniano *lib.de inst.Turc.*
notat Petr. Greg. Tholos. *in synt.jur.univ.lib.39.c.3.n.15.* An-
11. ton. Florent. † allegatus à Petr. Greg. *d.l.n.10.* dicit ex ludo
12. tot nasci crimina, quot sint pũcta in taxillis. Huic adsentitur †
Hostiens. *in summ.tit.de excess.prel.§.clericus.* sedecim vitia &
crimina ex aleæ lusu promanantia aliquot versiculis notans.
13. Et † Ovid. *lib.3. de arte* hæc recenset.

Ira subit deforme malum, lucriq; cupido,
Jurgiaq; & rixæ, solicitusq; dolor.
Crimina dicuntur, resonat clamoribus æther,
Invocat iratos & sibi quisq; deos.
Nulla fides tabulis, quæ non per vota petuntur,
Et lacrymis vidi sæpè madere genas.

Hinc

Hinc † Imperator noster Justinianus odio aleatorum in- 14.
census, publica lege edixit, ut nulli liceat in publicis vel privatis domibus vel locis ludere, neq; in genere neq; in specie *l.f. C.h.t.* Et hoc ideò † quod multos ludendo proprias substan- 15.
tias perdere cerneret, consequenter verò blasphemias in DEUM evomi, fraudes, pugnas, lites, ex hac inordinatione oriri imò cædes ipsas subsequi. Boni ergò Imperatoris fuisse commodis subjectorum prospicere. His quoq; † rationibus mo- 16.
tus Sereniss. Elector Saxoniæ lusus moderamen adhiberi voluit. Ordin. Polit. *tit. 12.* vom Spiel. **Ebener maßen ist auch nicht unbekand / wie mancher durch vielfeltiges spielen / und doppeln in abfal seiner Nahrung kommen &c.** & ibi: **Bretspiel / Karten / und dergleichen sollen keinem / so unter achtzehen Jahr ist / verstattet werden &c.** Jus etiam † Canon. aleatorem damnat, quem, 17.
licet consvetudine tantæ præsumtionis excessum palliare tentet, frivolam hanc decernens excusationem, ad sacros ordines promoveri vel admitti vetat, cum personis vilibus & indignis portæ dignitatis patere non debeant. *c. inter dilectos. 11. X. de excess. prælat.* Hanc † tamen prohibitionem non eò extendi vo- 18.
lumus, ut ab omni promiscuè fortunæ ludo abstinendum esse jubeat, judicem enim fortunam & sortem adhiberi videmus *in l.f. pr. C. commun. de legat. §. optionis. 23. Inst. de legat.* sed si cautelas quasdam adjecerimus, ratio, quæ ludos aliàs vetuit, optimo jure cessabit. Et † ludentes quidem liberam rerum ad- 19.
ministrationem habeant, ita ut res dubio sortis eventu exponendas alienare valeant, cum alioquin acquisitio ipso jure nulla sit futura. Æqualis † etiam sint status. Non enim cle- 20.
ricus cum laico ludere poterit. Luc. de Penna. *ad l. un. C. de expens. lud. n. 6.* Præterea non assiduus ludus aut frequens, sed 21.
moderatus erit, ac tempestivus, post expleta scilicet ordinariæ vocationis munia, ita ut animi cumprimis gratia instituatur. Ludere enim cõvenit sapienti trib9 in causis, ait Cardan. *lib. 2. de sapient.* aut in magni periculi timore, vel maxima tristitia, aut societatis minimè perditæ causa, vel cum ad munia tanto promtiores exsurgim9, ut non jacturam temporis, sed lucrum fecisse videamur, si ad magnitudinem aut multitudinem ne-

gotio-

22. gotiorum mentem adhibuerimus. Manifestum est † igitur,
quod nec diu, nec frequenter, nec cum cura ludus vel relaxatio
animi facienda sit. Et Balduin. *lib. 4. de cas. conscient. cap. 4. cas. 10.*
ex Augustino interdum animum à seriis rebus revocandum
23. refert. Nam sicut in cibos corpus refocillantes sumtus face-
re vel natura duce jubemur: sic cum & lusibus animus quoq;
& corpus vegetetur, non est, cur & in illis non liceat aliquid
expendere, quod majori necessitati non subtrahas. Dom. Soto.
24. *lib. 4. de J. & J. quæst. 5. art. 2.* Nec † lucri spes quemquam
alliciat, quæ perjuria, rixas, blasphemias modò conciet, si vo-
25. tis fautrix adesse fortuna desierit. Molin. *d. l. disp. 511. n. 1* Aliàs †
nec media cupidum animum nox avocabit, nec diei suscipien-
dus labor. Sæpiùs & festos ludendo soles profanabis, ac dum
bona tua augere intendis, non solùm propria, sed etiam uxo-
ris & quæ liberorum sunt, maximo cum generis, familiæ alio-
rumq; negotiorum dispendio dissipando perdes. Fraudem
26. fraude † compensare versutè meditaberis, quam tamen à lu-
27. do benè ordinato abesse volumus. Liberè † convenerint lu-
dentes necesse est; quoties cupiditate lucri involuntarium quis
ad ludendum trahit, protinus vitiari ludum Dd. communiter
statuunt, modò hæc attractio levis non sit, sed tanta, quàm ho-
mo ingenuus vix possit perpeti, nempè si convitiis, injuriis, op-
probriis adeò provocetur ut nisi ludat, pudore suffundatur,
& habeatur tanquam inurbanus & ignobilis, sicq; contradice-
28. re aliter non audeat. Atq; ita † observata consvetudine &
natura lusus exercere eum posse concludimus cum Henr. Zœ-
29. sio. *in comm. ff h. t. n. 1.* Magnif. Dn. Carpz. *d. l. n. 13. &* 35. Balduin.
*d. lib. 4. cap. 4. cas. 10. &* Andr. Rauchb. *quæst. 25. n. 95* Imò † si
ludus debito modo instituatur, duarum virtutum Justitiæ &
Eutrapeliæ opus esse scribit Molin. *all. loco. disp. 510. in fin.* quem
sequitur Paul. Layman. *lib. 3. Theol. Moral. tract. 4. c. 21. n. 1.* His †
30. attentis, non obstantibus dissentientium rationibus, naturali
jure per ludum transferri dominium posse asserere nobis lice-
31. bit. Cum † enim cuilibet libera rei suæ alienatio sit conces-
sa, nulla dominiorum translatio germanior erit naturæ, quàm
quæ libera domini voluntate fit. In ludo autem libera domi-

ni

ni voluntate transferri dominium non est quod dubitemus. Siquidem uterq; quasi paciscitur, ut de pecunia ludo exposita eventus rei judicium ferat, tantiq; æstimetur periculum unius, quanti alterius, Cui verò alea ceciderit, lucrum ferat. Quod 32
nullam † continet injustitiam, conventio namq; de eo ex utraq; parte est æqualis, de qua supra diximus. Et † o- 33.
ptimè lucrari quis poterit, si oblectationis gratia præmium sit propositũm, quod cum victoria conjunctum dulce pugnãti esse solet, langvente contra animo, si nihil inde speretur: experientia testis esto. Molin. *d. disp 510. n. 3.* At † hanc lucri cupi- 34.
ditatem avaritiam inferre facilè dixeris, hac autem accedente ludũ reddi vitiosum. Negamus † primo lucri cupiditatẽ pro- 35.
tinus vitiare ludum, dummodò fraus & dolus absit, nec justitiæ jura alioqui violentur. † Deinde, etiam cupiditatem, 36.
quam hîc intendimus moderatam, parere avaritiam. Adhæc † 37.
facimus cum Dom. Soto. *d. l.* avaritiam duplicem, alteram, quæ justitiæ opponitur, videlicet quando quis contra jus fasq; appetit alienum: alteram, quæ opponitur liberalitati, diciturq; illiberalitas, quæ tamen nihil contra jus vult recipere. Et prior efficit ludum vitiosum, non item posterior. *vid. de hac quæstione latè disputantem* Dom. Soto. *allegat. loco.*

*Membr. III.*

## Alea Quibusdam Specialiter Prohibita.

Diximus † thesi præcedenti aleam & prohibitam & certis 1.
etiam cautelis supervenientibus concessam esse. Jam videamus, quibus prohibitio illa facta sit. Et † generaliter po- 2.
nimus hanc regulam: Omnibus convenire ludum aleæ naturaliter, si proprii quid possideant, ejusq; administratio legitima eis competat. Atq; sic excludimus filiosfam. & Religiosos. In aliis, ut ut & proprietatem & administrationem habeant, alienationis tamen species statûs interdum honestati adversatur, ut in clericis & viris literatis. Aliqui verò propter communionem ac quasi societatem bonorum ludere impediuntur, ut maritus absque consensu uxoris, & uxor absq; consensu mariti: De singulis seorsim. Cum † ludus sit quæ- 3.
dam alienatio, quæ non nisi à domino proprietatis fieri potest,

meritò filium fam. qui à patre suo alitur, ac nihil penè proprii
habere intelligitur, ludus repellet. Quod si verò consensu
patris luserit, à quo etiam aliquam pecuniam accepit, rectè e-
am in ludum insumere posse, nullum erit dubium. Layman.
4. *d.l.c.21.nu.3.* De Religioso † quæstio est, an is aleam exercere
possit? Et dicimus cum Layman. *d.l.n.2.* Religiosos adhuc ma-
5. gis alearum ludum dedecere, quàm seculares clericos. Hinc †
monachum, qui jam in monasterio degit, si contigerit, ut alea
luserit, triennali carcere puniendum tradit Petr. Gregor. *de Re-
publ.lib 23.c.21.n.16.per c.inter dilectos.X.de excess.prælat.* Quid
6. verò † de cæteris clericis? de iis idem statuendum. Ab alea
enim tàm clericos in sacerdotio & in sacris, quàm eos qui tan-
tùm in sacris, vel eos etiam qui nec in sacerdotio, nec in sacris
arceri invenimus *can.1.d.35.auth.interdicimus.C.de Episc.& cler.
Nov.123.c.10.* imò ne intersint quidem ejusmodi ludis ut specta-
7. tores, *c.clerici.X.de vit.& honest.cler.l.34.§.1.C.de Episc.aud.* In †
tantùm etiam aleam eis prohibitam esse CC. statuunt, ut etiam
consvetudo non valeat in contrarium, licet ludum cujusdam
8. voluptatis respectu exerceant. Hinc † publicum aleatorem
à beneficio vel officio removent *d.c.11.de excess.prælat. c.6.d.46.*
9. ob rationes thesi præced. allatas. Gravissimum † enim esse
crimen blasphemiam, præsertim in Religioso, scribit Alciat.
10. *lib.6.respons.cons.3.n.4.* Minus † etiam decet clericorum gra-
vitatem hic ludus, & maximè à divino munere eos avocat. De-
11. positionem † tamen præcedat admonitio, ut se corrigat, ante-
quam puniatur, quæ requiritur in beneficio obtento, non in
obtinendo. Multa namq; impediunt promovendum, quæ non
dejiciunt promotum. *gl.in d.c.15.de vit.& hon.cler.in verb.ad
aleas.* Et quid lusorem clericum admonere expedit, qui ipso
facto à promotione repellitur, utpote cui ad beneficium obti-
12 nendum portæ honoris ne patescant. Jure † Novell. triennalis
in monasterium relegatio constituta, sicq; delicto satis expia-
to, in pristinum statum restitui possunt *Nov.Leon.87.* si autem
in medio tempore ostenderit delinquēs dignam sui vitii pœni-
tentiam, sacerdoti sub quo constitutus est, minuere tempus li-
cet, & hunc rursus proprio reddere ministerio. *Nov.123.c.10.*

At

At ſi poſt reſtitutionem rurſus fritillo inſiſtat, ex ſacro ſancto
Eccleſiaſtico ſtatu, tanquam piacularis, penitùs exturbandus,
ab eoq; profligandus eſt *d.Nov.Leon.87*. Sed † & hîc ludum 13.
non planè denegamꝰ clericis, ſi moderatnine in eo uſi fuerint,
præſertim hoc tempore, quo antiquorum canonum rigori
conſvetudine derogatum teſtatur Zoëſ *in comm. ff. h.t.nu.* 4. &
criminis mortalis damnandi non erunt, niſi publicè ac aſſiduè
cum offendiculo populi luſerint. *arg.c.u.de exceſſ.prœl.gl.in c.s.* 14
*d.35.* Permittendus † enim ludus, ſi ab officio, ſtudiis majo-
ribus ac gravioribus eos non impediat, modus ſervetur, ac per-
acto demum munere inſtituatur, juſto etiam tempore ad illud
ipſum, penſumq; ſe revocent. Luc. de Penn, *ad l.un.C.de expenſ.*
*lud.n.6.* Nec † ab honeſtatis actionibus alienum quicquam 15.
interveniat, deſit libido luxuriandi, deſint rixæ, injuriæ, blaſ-
phemiæ, ac alia mala, à nobis ſuperiùs recenſita. Zoëſ. *d.l.* Pa- 16.
ratam † menſam ludere volentibus ne habeant, nec ad luſum
provocent. Petr. Greg. Tholos. *in ſyntag.jur.un.lib 39.c.3.nu.14.*
Modica † etiam quantitate ex bonis patrimonialibus, aut et- 17.
iam beneficiorum reditibus ludant, quæ ad unum ſolidum,
tàm clericis, quàm etiam laicis definita videtur *l.f.C.h.t.* Præ- 18.
terea † ludos in honeſtos, his, qui legitima peragunt in Acade-
miis ſtudia, tanquam indignos, & eorum ſtatui minus conve-
nientes Juſtinianus abrogat *§. illud verò 9. in proœm. ff.* horum
effectus injuriam eſſe aſſerens, imò magis ſerviles eſſe, quàm
quod ingenuos quibus è meliore luto Titan fecit præcordia,
deceat. Ac † ſanè facultates & bona dominio fortunæ ſubji- 19.
cere, maculæ atq; dedecori fuit viris cumprimis literatis, utpotè
quibus ex honeſtis colloquiis amicorum & eruditorū certior
& honeſtior recreatio manare poteſt. Magnif. Dn, Carpz. *part.*
*3 prax.crim. quæſt 134. n.7.* De † maritis expedita res eſt, quod 20.
pro lubitu habita ratione ſtatûs ſeu conditionis & divitiarum
ludere poſſint, niſi ſcil. ea prodigantur, quæ alendæ familię ne-
ceſſaria ſunt. Dom. Soto. *lib.4. de J. & J. quæſt.5. art.2.* Si verò † 21.
maritus conſentiente uxore plus juſto ludendo effuderit bona
ſocietati illorum communia, an uxori tenebitur ad reſtitutio-
nem? non puto. Quippe † ipſe maritus tanquam admini- 22.

ſtrator bonorum ſocietatis de communi conſenſu contractum iniiſſe apparet: modò tamen abſtinuerint à rerum immobilium alienatione. Molin. *de J. & J. tom. 2. diſput. 510. nu. 6.* E con-
23. trario † & uxor mariti conſenſu ſivè expreſſo ſivè tacito ludere poterit, i. e. dummodò certum ſit, non contradixiſſe eum, adeoq; eo invito hoc non eſſe factum. *arg. l. 1. §. ſcientiam 3. ff. de tribut. act. l. 1. §. magiſtrum 5. verſ. cæterum. ff. de exercit. act. l.*
24. *cuicunq. 5. §. idem Labeo 9. ff. de inſtit. action.* Deinde † etiam, cum maritus uxori ob dotem & ſocietatem bonorum initam, honeſtam & congruam debeat alimentorum ſubminiſtrationem ea verò eos etiam ſumtus requirat, quos ejusdem conditionis & ſtatus uxoribus oblectationibus honeſtis impendere conveniens eſt, invito etiam nonnunquam marito ludû exercere poterit, modò peculiares aliquæ cauſæ non ſint, quæ ma-
25. rito inhibitionem faciendam perſvadere valeant. Itaque † hos limites egreſſa ſi luſerit, perditæ rei dominum ex contractu invalido non transferet, ſed reſtituenda erit marito, pro ut ipſa quoq; reſtituere tenetur, quod extra eos terminos fuerit lucrata. Molin. *d. l. n. 3.*

## *Membr. IIII.*

## Ludi Permissi.

1. DIvidimus † ludos in artis, fortunæ & miſtos. Ludi artis ſunt, qui ſola arte, ingenio, vel viribus peraguntur, ita ut abeſſe fortuna jubeatur. Fortunæ ſunt, quos dominatrix ſibi ſubjecit ea, adeoq; penitus à ſe regi vult. Miſti verò ſunt, in quibus adhuc imperium aliquod ſibi vindicat fortuna, ſed non in totum, cum in ſimul ingenio, exercitatione atq; artificio adju-
2. vetur, qualiter in ludo aleæ. Et † prioris generis ludos quinque refert Imperator Juſtinian, *in l. 1. & l. f. C. h. t.* (1) Monobolon. h. e. (ut explicant Dd.) ſingularem ſaltum ſine conto. Quem ludum legit Petr. Greg. *in ſynt. jur. univ. lib. 39. c. 4. nu. 3. & ſeqq.* κωρυκόϐαλλον vel juxta alios κωρικομαχίαν explicans ludum ſaccull ſcortacei inflati ſeu follis, vel pilæ inflatæ. (2) Con-
3. tomonobolon † i. e. ſaltum conto ſuffultum. Quem itidem Petr. Gregor. *cit. loco.* ſecundum veterem Codicem legit commadianlion, quod ludi genus vocat curſum inciſum, quando

curſu

cursu reciproco certatur. (3) Quintanum † contacem sine 4.
fibula, ab inventore Quinto sic dictum Gothofr. *ad l.1, C.h.t.*
h.e. ludere hasta sine spiculo, ubi Petr. Gregor. veterem lectionem sequitur legens basilindam, quando scilicet sorte deligitur ex pluribus, qui imperet, alii autem qui obsequantur. Et † 5.
hoc genus lusus apud Pontificios circa festum Epiphaniorum hodie etiam celebrari solere refert. Andr. Rauchb. *quaest. jur. Civil. & Saxon. 25. n. 4.* Idem, hunc ludum à Joh. Aquila, *de omn. lud. gen.* aliter explicari, esse scilicet, in quo equite currente res posita in signum lancea elevatur. (4) Perichiten † 6.
i.e. exerceri lucta *d. l. 1. C. h. t.* Qualis verò hic intelligatur ludus, cum non satis constet inter Interpp. & nos cum Alciato *lib. 1 praetermiss. n. 50.* & Petr. Gregor. *cit. loco, n. 7.* ignorare eum malumus, quam incerti haesitare, utpote qui ea nomina se usquam alibi legisse negant, incognitaq; sibi ingenuè profitentur. (5) deniq; † hippicen i.e. exerceri equorum cursu seu 7.
hippodromo. Ubi iterum non convenit satis inter Interpp. dubium dubio explicantes, teste Alciato *d. loco.* qui cum nihil certi habeat, de his ludis per conjecturam se retulisse scribit. *vid. tamen* Gothofr. *ad l. 1, C. h. t.* His † quinq; ludis ab Imperat. traditis, alios similes, qui virtutis & ingenii excitandi vel 8.
acuendi causa suscipiuntur adjicit Rauchb. *praealleg. loco.* Imprimis † verò qui vel hodièdum in aulis Principum nobilium exercendorum gratia instituuntur, ut hastiludia seu torneamenta, & his similia, quibus hastam vibrandam instruuntur, & vel ad annuli immissionē, vel ad affabrè sculpti hominis formam hastas inferunt, Petr. Gregor. *in S. j. u. lib. 48 c. 16, n. 25.* 9.
Jure † tamen Canon. non minus ac ars sagittariorum & duella, torneamenta prohibita sunt, adeò etiam ut si quis in iis sit occisus, non solum occidens poena homicidii voluntarii puniatur, sed etiam occisus, ut & quivis aliꝰ in loco torneamentis destinato moriens ecclesiastica carere debeat sepultura *c. 1. X. de torneam.* nisi fortuito casu obierit, cum non animo ludendi, sed percipiendi credita venisset *c. 2. X. eod.* Quam † poenam crudelitatem potiùs quàm humanitatem sapere probat *Extravag. Joh. XXII. c. un. eod.* excommunicationem revocans, illosq; qui 10. 11.

12. hujus occasione sententias incurrerant, absolvens. Et † hos
ludos cum virtutis i. e. fortitudinis *Nov. 69. pr. & ibi Gothofr.*
causa instituuntur, meritò licitos dicemus. *l. 2 & seq. ff. h. t. l. 1.*
*& l. f. C. eod. l. qua actione. 7. §. si quis. 4. ad L. Aquil. l. athletas. 4. de*
*his qui not. infam l. 1. §. 6. vers. denique eos. ff. de postul.* Policey Ord-
13. nung *d. art 12. vers.* Nu stellen wir zwar. &c. Quamvis † autem
virtutis causa suscipiantur; ditioribus tamen ad singulas com-
missiones seu ad singulos congressus aut vices ultra unum soli-
dum ludere non permittitur, cæteris autem longè minori pe-
14. cunia. *d. l. 1. & l. f. C. h. t.* Quod † si plus lusum fuerit, æq; illi-
citi hi reddentur, superveniente fraude, dolo & circumventio-
ne. *d. l. 1. in verb. absq; dolo & circumventione. d. l. f. in verb.*
15. *quibus sine dolo & callidis machinationibus.* Nec † etiam quæ-
stus & lucri causa instituantur. *l. 1. vers. qui artis ludicræ. l. 2. § f.*
*ff de his qui not. inf. d. l. 1. §. 6. de postul.* quæ perindè ut in alea
16. vitium inferent. Huc † etiam refert *Rauchb. d. l.* ingeniosum
illum & quasi castrensem ludum Scachorum, quem descripsit
Thom. Demster. *in paralipom. ad l. 5. c. 1. Antiq. Rom. Joh. Rosini,*
eundem esse putans, qui nomine latrunculorum Priscis in usu
fuit, cum etiam num hodiè latrones illi colore dispares sede-
cim, totidemq; concolores, latronum, militum, regum nomi-
17. na habeant. Quod † si esset, diversos hi duo ludi non habe-
reat inventores, ac una eademq; occasio inveniendi fuisset,
quam tamen variare hinc inde deprehendimus. Alleg. enim
Demsterus lusûs latrunculorum nô Pyrrhum, nec Chilonem,
neq; Attalum, sed Palamedem Nauplii filium autorem, quem
in obsidione Trojana, ut milites in officio contineret, illud lu-
dicræ dimicationis genus excogitasse scribit. Petr. Gregor. verò
sæpius citatus *lib. 39. c. 4. nu. 8.* ludum Schaccorum à viro quo-
dam sapiente nomine Xerxe inventum cum Polyd. Virgil. *lib.*
*2. de invent. rer. c. 13.* statuit, hac occasione, cum non auderet a-
pertè monere officii sui Tyranum quendam metu sævitiæ, taci-
tè hoc ipsum tentasse, ostendens majestatem sine viribus, ho-
minumq; adminculis nec valere, nec tutam fore, & regem nisi
18. invigilaret, à suisq; defenderetur, facilè oppressum iri. Hæc †
si vera, dicendum videtur, calculos in ludo scacchico reliquen-
dos

dos esse Palamedi, modum verò & rationem ludendi in hoc lu-
do tribuendam Xerxi. Cum † verisimile sit eosdem calculos 19.
alio modo in illo, alio atq; alio in hoc posse ludo adhiberi. Sed 20.
† objicies hic cum Petr.Greg. *d.l.c.4.n.10.* & Petr.Heig. *part.2.*
*quaest.10.n.51.* quem adducit Magnif. Dn. Carpz. *part.3. prax.*
*crim.q.134.* malè nos referre ludum scacchorum inter ludos
concessos, eo quod in hoc ludo plus temporis majori animi
anxietate ponatur, isq; adeò difficilis sit, ut si quis eum exactè
velit addiscere, multum temporis insumat oportet, & tanta di-
ligentia utatur, quanta opus est in perdiscenda nobili aliqua
arte, aut re magni momenti. Hæc prælaudatus Dn. Carpz.
Inprimis † verò hic ludus vituperatur in doctoribus & scho- 21.
laribus, quia inebriantur in eo & tempus perdunt, quo nihil est
carius, ut notat ex Lancell. *de off. prat. in caus. crim. & in cap. de*
*lusor. nu.19.* Andr. Rauchb. *d.l.n.68.* Verùm † expedita res erit 22.
si ludum Schaccorum suis limitibus includamus, ut non aliter
concedatur, quàm si moderatè, habita ratione temporis atque
animi levandi causa instituatur, qui seriis sæpiùs defatigatus
ludicris refocilletur. Non † enim puto quenquam reperiri, 23.
qui Ixionis rotæ perpetuò se alligari velit, aut assiduis ita agi
curis & occupationibus, ut instar Promethei aquilam jecur &
corrodentem gerere videatur. Et † ita 24.

Maximus Interpres legum lusisse lapillis
Scævola narratur, curasq; fugasse fritillo.

Fertur & Socrates inter pueros arundine lõga equitasse, Achil-
les post prælia citharam tractasse. Concludimus, † ita remit- 25.
tenda esse gravia opera, non ut arguamur, potiùs deposuisse,
quàm relevasse onus. Addimus † h. loco quoddam genus lu- 26.
di, fortunæ olla appellari solitum, **ein glückstopff** quæ schedu-
las aliquas minutas, quibus fortunæ, partim vilia, partim quæ
majoris pretii, dona inscripta, vel planè etiam inanes conti-
net. Tum certa pecuniæ summa data, aliquot pro cujusvis
quantitate eximendi lusori conceditur copia, & si felici dextra
luserit, accipit quod reperit, sæpius etiam si quis habet num-
mos veniens, exibit inanis. Et † hunc ludum al quibus in lo- 27.
cis usitatum concedi posse persvasum nobis erit, si dolum &
frau-

fraudem removerimus,& rerum fortunæ incertitudini expo-
28. sitarum justam taxationem præceperimus. Insuper † JCtum, quod in convivio vescendi causa ponitur in eam rem familiæ
29. ludere permittit. *l.f.princ.ff.h.t.* Sichard. *ad rubr. C.h.t.* Quam † l.fin. ita intellectam vult Magnif. ac Ampliss. Dn. D. UNGEPAUR, *&c.&c.* Patronus ac Præceptor meus æviternum deveneran-dus *in not. ad Wesenb. h.t.* ut sensus verborum initialium nō sit, quod alter alterum plus comedendo vincere debeat, eo enim modo dicit homines invitari ad ingluviem: Sed quod pecunia posita à succumbente, possit converti in convivium recreatio-
30. nis causa *vid.gl.hic.verb.permittitur.* Quod † adeò exten-dit *gl. in c. inter dilectos de exceß. prœl.* ut & clericis convii
31. causa ludere concedat. Alii † verò contrarium tenent per *can.non oportet.10.dist.44.* Sed probanda erit sententia glossæ, si scilicet convivia ex intentione impendendæ charitatis cele-
32. brentur *c.convivia.6.dist.44.* Non † incommodè sponsio-nes huc reponimus, easq; licitè iniri posse adserimus per *l.à Ti-tio.108. l.si quis ita stipulatus fuerit.129.de V.O.l.si gratuitam.17. § ult.ff.de prœscript.verb.l.cum ad prœsens.37.ff.de reb.credit.* Al-
33. ciat, *ad d.l.37.n.50.* Ipsa enim † conditio tametsi nullam ali-am habeat stipulatio causam, est causa sufficiens. Coras. *lib.7. miscel.c.7.nu.1.2.3.* modò ex utraq; parte æqualitas reperiatur, hoc est, uterq; sponsor de re in sponsionem deducta, dubitent,
34. & æqualiter periculo amissionis sese dederint. Nam † si u-nius scientia aut ignorantiæ simulatio deprehendatur, quâ ad spondendum alterum allexerit, invalida dicenda erit sponsio, ob partium inæqualitatem, quæ contractum reddit inutilem,
35. Henr. Zoes. *in comm. ff.h.t.n.10.* Quod † si verò alter inæqua-litatem perspectam habeat, nihilominus verò in sponsionem factam pertinaciter expresse vel tacitè consentiat, tum volen-ti injuria non fiet, & pertinaci atq; incredulo damnum impu-tandum erit, quod sibi sua sponte illatum voluit. *c.damnum.86.*
36. *de R.J.in 6.* Zoes. *d.l.* At † inquies, sponsiones aliter non li-
37. citas esse, quàm ubi pro virtute certamen est *l.3.ff.h.t.* Sed † JCtum omnes indistinctè sponsiones, quæ corporali certami-ne secluso fiunt sub futuro eventu fortunæ, ibi improbare o-
stendi

ſtendi non poterit, illas tantum ibi prohibet, quas ad oſtentationem viriū, odio, æmulatione, ac libidinis cauſa temerè quis facit, atq; ita ſpondere in tali certamine non licere, niſi ſit virtutis cauſa. Did. Covarruv. *tom. 1, part. 2. releɛt. c. peccatum. de R. J. in 6. §. 4. nu. 2.*

## *Membr. V.*

## Consequens Ludi Prohibiti.

Cum † ſuperiùs oſtenſum ſit aleæ ludum vetitum, meritò
ex hac prohibitione hoc efficietur, ut quicquid perditum 1.
ab uno ab altero adquiſitum reſtitutioni obnoxium reddatur.
Quod † tamen reſtituendi vinculum non à propria
ludi natura, ſed à jure Civili dependere indubitati juris erit. 2.
Si † enim ludentes ſtatûs æqualis, liberam ſuarum rerum habeant
adminiſtrationem, quas in conventionem ludi deducūt, 3.
fraus abſit, aliaq; requiſita à nobis ſuperiùs tradita obſerventur,
ex tali ludo licito lucrum perceptum in animæ & conſcientiæ
judicio non eſt reſtituendum, cum conventione libera
ſit acquiſitum, ex qua contractus legem accipiunt *l. 1. § ſi convenit. 6 ff. depoſ. vel contr.* Covarr. *tom. 1. part. 2. releɛt. c. peccatum.
de R. J. in 6. §. 4. n. 1.* Acceptio † item ex ludo per ſe iniqua
non eſt, ſed variis circumſtantiis accedentibus vitiatur. Quam 4.
opinionem communi Dd. ſuffragio in *c. pen. X. de vit. & honeſt.
cler.* comprobatam teſtatur Did. Covarruv. *d. loco.* Dom. Soto.
*lib. 4. de J. & J. quæſt 5. art. 2.* Manet † igitur, jus civile reſtitutionem
amiſſi inducere, quod apertè videtur colligi poſſe 5.
ex *l. fin. in verb. nulla ſequatur condemnatio, ſed ſolutū reddatur &
competentibus actionibus repetatur. C. h. t.* Sed † quando reſtitutio
facienda eſt, ſtatimne ac extra judicium, an verò expe- 6.
ctanda demum condemnatoria judicis ſententia? Quod †
poſterius verum eſſe hinc Dd. concludunt, quod reſtitutio tan- 7.
tum in pœnam ſit ſtatuta, concedendo ei actionem ad lucrum
in judicio repetendum, qui illud amiſit. Cum † verò pœna
ante latam ſententiam nulla obtineat, conſequenter lucrum 8.
reſtitutioni obnoxium prius non erit, quàm in judicio judicis
ſuperveniat ad reſtitutionem condemnatio. Soto. *d. l.* Zœſ. *h. t.
n. 6.* Molin. *tom. 2. de J. & J. tract. 2. diſput. 513. & 514. n. 1.* Joh.

9. Gutierrez. *de juram. confirm. part. 1. c. 53.* Quod † si quidam promissa tantum non apposita pecunia ludant, promissor ad solutionem ejusdem non tenebitur, eo quod leges pecuniam perditam & victori acquisitam in pœnam auferant ei, atq; jus repetendi succumbenti concedant *d. l. f. ibi: nulla sequatur condemnatio C. h. t.* ubi Imperatoris mens est, perdentem necessitate solvendi absolvere, eiq; solutione jam facta repetitionis jus im-
10. pertiri. Igitur † qui solutam jam pecuniam repetere legum decreto potest, poterit eam nondum solutam retinere, quia frustra petere: quis, quod statim redditurus est, *l. dolo. 8 ff. de dol. mal. & met. except. l. 2. §. 5. ff. eod. L. in condemnatione. 173. §. f. de*
11. *R. J. c. dolo facit. 59. de R. J. in 6.* Deindè † confirmat etiam hanc sententiam regula juris, quod cui actio conceditur ad repetendũ id quod dederit, multò magis exceptio, ut id non solvat exigenti, concedatur. *l. invitus. 173. §. 1. de R. J. l. 1. §. is autem. 4. in f. ff. de superfic. c. qui ad agendum. 71. de R. J. in 6.* Atqui † promittens ludi causâ actionem habet ad repetendum quod perdidit. Potiori E. jure habebit exceptionem, ad rem retinendam quá
12. nondum solvit. Minimè † verò exceptioni huic repetendi renunciare poterit. Hæc enim non tantum in favorem illius,
13. sed etiam communis boni causâ data est. Quid † si se soluturum juraverit, poteritne adhuc uti exceptione repetendi? non poterit, sed ratione juramenti promissis standum erit.
14. Dispensationem † tamen petet, si ex ea solutione magnam bo-
15. norum facturus sit jacturam. Soto. *d. loco.* Quod † si etiam in præjudicium tertii hoc juramentum vergat, veluti uxoris, cujus dos vel arrha ea solutione consumitur, obligatorium
16. tum non erit. Et † satis constat, ludentes requiri liberos rerum suarum administratores, si lucrum in animæ & conscientiæ foro lucrantes retinere velint. Nam si quis cum filiof. servo, vel monacho, vel cum alia persona quæ alienare nõ potest ludens lucretur, quod patris, domini, vel monasterii sit, si ignoret hos sui juris non esse, ad restitutionem tantum compelletur; non enim ludendum est cum iis, qui nihil proprii habent.
17. Sichard. *ad rubr. C. h. t.* Si verò † sciverit cujus conditionis
18. sint, furti quoq; cum eo agi poterit. In dubio † maximè scire

re præsumitur. Ejus enim conditionis ignarus esse non debet
cum quo contrahit. *l.qui cum.19.ff de R.J.l.servus cujusdam.36.*
*ff.de condict.indeb.* Aliciat.*reg.3.præsumt.29.n.6.* Sed † cui re- 19.
stitutio facienda? Restitutio non ipsi, qui perdidit, fieri de-
bet, sed patri, si est filiusfam. vel tutori aut curatori, si est sub tu-
tela vel cura: vel Ecclesiæ aut monasterio si est Religiosus: vel
deniq; domino si est servus. † Aliàs si lusores sui sint juris, & 20.
assidui, qui perpetuò ludendi causa convenire solent, pecuni-
am in pœnam pauperibus distribui debere censet. Petr. Gregor.
Tholos.*d.lib.39.c.3.* nisi † tamen is, qui lucratur, fraude in lu- 22.
do fuerit versatus, tunc enim ut rapina & furtem domino a-
mittenti debent amissa restitui *can.15.c.14.q.5.* De † filiofam. 23.
hoc prænotamus, cum is triplicia habeat bona, castrensia vel
quasi castrensia, adventitia, & profectitia, jure ex bonis ca-
strensibus vel quasi castrensibus ludet, utpote in quibus pro pa-
trefam. habetur, modò is annos pubertatis sit egressus. De †
bonis adventitiis quorum dispositionem & administrationem
habet, idem dicendum. ut & de bonis profectitiis, quæ à patre
ad oblectationem & ludum ei sunt concessa. Si verò † fili- 24.
usfam. ea quæ patris sunt luserit, parens amissæ pecuniæ repe-
titionem habebit. *l.fin.§.1.ibiq; Bart ff.h.t.* Contraria † ratio- 25.
ne filii, si jam in vivis, in ludo prohibito à patre amissa ad legiti-
mam usq;, post verò nati in solidum revocare poterunt, bene-
ficio. *l.si unquam.8. C. de revoc.donat.* præsertim si bona sint
immobilia. Petr. Gregor. *inst.j.u.lib.44.c.5 n.16.* Andr. Rauchb.
*quæst.jur.Civ.& Sax.25.nu.46.* Quod † si servus in ludo vice- 26.
rit, dabitur in dominum de peculio actio non noxalis, quia ex
negotio gesto agitur. *d.l.f.ff.h.t.* Meritò † fraudem quoque 27.
in ludo exclusimus. Ea enim obrepente, lucrum restitutioni
subjacebit, cum fraus & dolus nemini patrocinari debeant.
Qualis † non committitur cum quis cautelis ludi legibus con- 28.
cessis utatur, ut id faciat, quod natura ludi permittit. Quibus 29.
† legibus observatis judicio & arbitrio peritorum fraus dijudi-
cari poterit, quo facto acquisitorum restitutio necessariò [illegible]et.
Legibus † autem, quæ tacito ludentium consensu approbatæ 30.
sunt, non violatis, utcunq; alter alterum dolo & cautelis cir-

cumvenerit, hoc modo acceptum restituendi onere non succumbet, dolus enim bonus est. *l. 1. ff. de dolo.* Molin. *disp. 517. n. 1.*
31. vel † fraus etiam rectè probabitur per barros & lusores, peritiam artis habentes, & sic per testes vilis conditionis. Mascard,
*de probat. vol. 2. concl. 998. nu. 7.* secutus haud dubiè Salicetum,
*in l. ea quidem. C de accus.* Quando verò & quoties fraus in ludo committatur, vide apud eundem Molin. *d. disput. 517. nu. 2.*
32. Cum † solus ludere quis non possit, ignoratur enim quis victor sit & quis victus, Bart. *in l. licet. §. si plures. ff. de procur.* solent
quidam cogere ad lusum vel ab initio, vel ex post facto, dum
33. invitum à ludo discedere volentem retinent. *l. 2. pr. ff. h. t.* Et †
hos ad restituendum obligatos esse apparet, quia lucrum ab invito percipi nequit. Ludentes enim proprio motu & instinctu
34. convenisse necesse est. Prætor † etiam contra tales attrectatores ita pronunciat: In eum qui aleæ ludendæ causa vim intulerit, uti quæque res erit animadvertam; ut aut mulcta mulctetur, aut in latumias, vel in vincula publica ducatur. *l. 1. §. f. ff.*
35. *h. t.* . Obiter † voculam latumias variè legi notamus, modò
latomias, modò etiam lautumias. Magnif. & Consultiss. Dn. D. UNGEPAUR. &c. &c. *in not. ad Wesenb. tit. ex quibus. caus. major. &c. nu. 4.* refert ex Cotta vocem latomias denotare locum in quo lapides cædebantur. Budæum verò *in annot. prior. ad Pand. in l. 9. d. t.* legere latumias, in quibus plerumq; carcer erat. Gothofr. *ad d. l. 9. d. t. gl. ad d. l. 1. § ult. voc. latumias.* Et in Pand. Florent. itemq; libris aliquibus vetustioribus legi lautu-
36. mias. Quod † si alter alterum invitaverit saltem, & persvasionibus ad ludum commoverit, nullo restituendi onere se
37. gravabit, si scilicet alter spontè accedat, Dom. Soto. *d. l.* Ast †
de consvetudine, an illa ludum aleæ reddere possit licitum, ut ex eo si quid lucretur retinere liceat, disceptatur. Quidam affirmare haud verentur, per consvetudinem, scilicet, quæ contractus probare & reprobare potest, & actus per se illicitos licitos facere, hodiè à jure scripto adeò esse recessum, ut & impunè ludere & ludo quæsita retinere liceat, adeoq; traxisse reperiantur pravi mores leges bonas in suam potestatem. Quos refert
38. Andr. Rauchb. *d. quæst. 25. n. 86.* Rectiùs † dicemus consve-

tudi-

tudinem non posse ludum aleæ efficere licitum, eo quod tum
contra bonos mores sit hæc futura *c. 11 X. de excess. pral.* probaret
namq; blasphemiã, perjuria, jurgia, inimicitias, & alia enormia
crimina. Aliqui † verò dicunt, consvetudine, ut ut non possit 39.
ludus fieri licitus, ut modò dictum, tolli tamen posse pœnam
ludo quæsita restituendi. Covarr. *in c. peccatum. part 2. §. 4. n. 3.*
De † qua tamen assertione meritò dubitat Magnif. Dn. 40.
Carpz. *part. 3 prax. crim. quæst. 134. n. 12.* si enim aleæ ludum con-
svetudo non possit facere licitum, nec amissi repetitionem im-
pedire poterit. Sic namq; minus liceret in causa, quàm cau-
sato, cum tamen potius jus causæ quàm causati sit.

## *Membr. VI.*

## Repetitio Judicialis

VIctum † in aleæ lusu non posse à victore conveniri pro eo 1.
quod perditum, indubitati juris est, ita ut de jure
hodierno etiam omnis denegetur actio pro debito ex ludo, nec
lusor ejusve heredes ad exsolutionem æris per ludum contra-
cti teneantur Magnif. Dn. Carpz. *cit. loco.* Ac † licet de præ- 2.
senti pecunia nihil perdiderint, sed tantum in futuram solu-
tionem luserint, deq; eâ bona fide præstandâ caverint, wen sie
kein Geld auffgesetzet/ sondern auff borg und redlich gelten oder
zahlen gespielet haben, nullam tamẽ victor ad eam pecuniã obti-
nendã habeat actionẽ. Paul. Matt. Wehner. *lib. pract. obs. tit.* auff
borge spielen. *Mat. Col. p. 1. decis. 173. n. 1. & seqq.* Quod † verò in lu- 3.
do solutũ, tàm ipse succũbens, quàm ejus heredes repetere pote-
rũt, non solùm ab ipso victore, sed etiã ab heredibus ejus *l. 1. in
pr. C. h. t.* At † quomodò repetet? Condicere potest pecuniã tan- 4.
quã debitam. Cujac. *in parat. C. h. t.* Quod si ipse victus vel ejus
heredes repetere cessent, cuicunq; alii, aut in urbe præfecto ur-
bis, vel in municipiis defensori civitatis aut præsidi provinciæ
aut etiam fisco repetere licebit, qui hanc pecuniam operibus
civitatis applicabunt. *d. l. 1. & l. f. C. h. t.* Cui † addit d. l. f. non 5.
obstante nisi quinquaginta annorum præscriptione ad exclu-
dendam actionem repetitionis in ludo vetito. Intra † quod 6.
tempus, quæ in ludo ultra unum aureum amittuntur, condi-
dictione hac peti possunt *d. l. f. C. h. t.* Quæ † actio olim daba- 7.

8. tur in quadruplum, hodiè verò in simplum. Eamq; † famosam esse existimat Cujac. *in parat. C. h. t. & lib. 9. obs. c. 28. nu. 4.* quem sequi videtur Gothofr. *ad d. l. 1. in voce. repetitionem. h. t.* quia in parentes & patronos non datur, nisi, ut de dolo, verbis
9. in factum conceptis. Cujus † opinioni contrariatur Dn. LudWel. *in comm. ff. h. t.* actionem hanc famosam negans, cum
10. nusquam in jure nostro famosa sit expressa. Nec † obstare dicit rationem Cujacii. Nam nec illæ actiones, quæ verecundiam condemnati onerant, etiamsi juris infamiam non inferant, in parentes dantur, nisi verbis temperatæ *arg. l. 2. §. ult.*
11. *junct. l. 6. & seq. ff. de obseq. par. & patron. præst.* Et † hæc opinio nobis vera videtur.

*Membr. VII.*

## Poena Aleatorum.

1. Cum † ludens præsumatur dilapidare bona sua Bart. *ad §. illud vero 9. in prooem. ff.* haud injuria aleatoribus, utpote rerum suarum ludendo decoctoribus, sicut prodigo & furioso
2. administratione bonorum interdici poterit. Expedit † enim Reipubl. ne sua re quis malè utatur *§ f. Inst. de his. qui sui vel al. jur. sunt.* atq; bonis suis propria culpa exutus nihil non experia-
3. tur mali. Quam † tamen rationem rejicere quidam conantur per *l. 21. C. mand. l. 25. §. 11 ff. de hered. petit.* suarum rerũ quem-
4. vis moderatorem atq; arbitrum esse. Verùm † id est, sed non ultra quam publica permittit utilitas. Et abuti licet re sua sed modicè, & rebus singularibus, non universo patrimonio. De quo pluribus disputat Amplissimus Dn. Præses, &c Patronus ac Præceptor meus summo honoris ac jugis observantiæ cultu ætatem devenerandus. *disput. de prodigo po-*
5. *sit. 5. n. 1. & seqq.* Ex † hac ratione quoq; instrumenta promissionis facta ex causa ludi etiam permissi nullius erunt roboris
6. & momenti. Alienare † enim sive tradere nequit aleator bonis interdictus, *l. 6. de V. O.* neque dominium transferre *l. 10. pr. de curat. fur.* nec possessionem *l. 8. de acquir. poss.* etiam natura-
7. lem. *l. 11. de acquir. rer. dom.* Quod si ex hac causa aliquid solvit, repetere potest quasi ex privilegio personæ. *l. interdum. 29. ff. de condict. indeb.* Transactio † quoq;, emtio, venditio, mutuum,

tuum, aliivè contractus ludi causa celebrati ipso jure sunt invalidi *gl. in l. 1. & l. f. in verb. acceperit pecuniam ff. h. t.* Bartol. *in l.*
*si quis cum sciret. in f. ff. pro emtor.* Panormit *in c. clerici, de vit.*
*& honest. cler. nu. 16. & 17.* Fundamentum enim eorum bonis
moribus est inimicum, ac ejusmodi, de quo lis nulla esse potest
in judicio. Actor † namq; per exceptionem: Tibi non com- 9.
petit actio: semper repelli potest. Magnif. Dn. Carpz. *cit. l. n. 24.*
Si † verò mutuans collusor non fuerit, nec aleator, datæ pecu- 10.
niæ repetitio non denegabitur. Panorm. & Bart. *d. l. loco.* Dein-
de † cum aleatorum nomen pro infami habeatur. *l. fugitivus.* 11.
*225. de V. S. l. 26 de injur.* iiq; semper blasphemare ac blasphemi
esse credantur, à testimonii dictione non immeritò repellen-
tur. *arg. c. super eo. 13. c. testimoniũ. 54. X. de testib & attest.* gravissi-
mùm enim scelus divinam majestatem offendere *Mascard. de*
*probat. vol. 1. concl. 194. n. 12. & seqq.* Quod † adeò extendunt 12.
Dd. ut non tantum in causa civili, sed etiam in criminali & ma-
trimoniali rejiciatur, quia dicitur criminosus, blasphemus, bo-
norum decoctor, omnium bipedum flagitiosissimus. Mascard.
*de probat. vol 2 concl. 998. n. 1.* Probare † tamen debet, eum tem- 13.
pore testimonii ferendi aleatorem esse, Cravett. *part. 1 cons. 169.*
*n. 5.* Rol. à Valle *lib. 2 consil. 34. n. 3. & seq.* qui non aliquando
tantum, sed continuò ludere consveverit. Mascard. *d. l.* Sed † 14.
levis hæc aleatorum pœna videtur, graviore digni, quam eti-
am modò statutam, modò arbitrio judicis relictam invenimus.
Et jure † quidem Saxon. *in Ordin. Polit. tit.* vom Spiel. *§. ult.* 15.
hæc edixit Sereniss. Elector. **Welcher nun hiewieder handlen
wird/ der sol iedes mahl 20. Thaler zur straffe (darvon ein Tha-
ler deme/ so es in erfahrung bracht/ gebühret) entrichten/ oder da
ers nicht im vermögen/ acht Tage lang in gefänglicher hafft ent-
halten werden.** Sed hæc pœna exempli tantum loco prolata 16.
censetur, quam judici ratione circumstantiarum modò minue-
re, modò etiam usq; ad relegationem augere permittitur, pro
ut quotidianam praxin testari hoc probat Magnif. Dn. Carpz.
*d. l. n. 19.* Solent † etiam judices inferioris conditionis lusores,
imprimis festis diebus deprehensos ad torquẽ infamem damna-
re Petr. Greg. Tholos. *in S j. U. lib. 39. c. 3. in fin.* Committimus †
itaq; exacerbationem pœnarum in aleatores judicis arbitrio.

## *Membr. VIII.*

## POENA IN SUSCEPTORES ALEATORUM.

1. Restat † ut & susceptorum pœnam, breviter addamus, ne hos, qui
plerumq; ipsis aleatoribus nequiores esse solent, impunitos relin-
2. quamus. Ac † in talem susceptorem, qui occasionem, adjumentumq;
h.e. domicilium huic nequitiæ præbet, Edicto Prætoris cautū reperitur;
si quis eum apud quem alea lusum esse dicetur, verberaverit, damnumvè
ei dederit, sivè quid eo tempore dolo ejus subtractum est, judicium non
3. dabo. *l. 1 pr. ff. h. t.* Quod † de tali susceptore intelligendum est, non qui
semel, aut bis, vel rarò casu aliquo lusores receperit, sed qui consvetu-
4. dinem eos recipiendi habuit *gl. in l. 1. ff. h. t.* Et † hunc, qui graviùs
delinquere censetur, quàm ipsi ludentes, verberatum ac vulnere afflictū
5. ubicunq; ac quandocunq; se vindicare nolle dicit Prætor. Quia † &
furto domi facto eo tempore quo alea ludebatur, impunitatem dat, sic
nulla susceptori actione subveniendum esse, existimat, ut ut spes im-
6. punitatis maxima sit peccandi illecebra. De † hac actione controver-
titur, quænam hic intelligatur. VVesenb. *in parat. ff. h. t. n. 2.* de actione
tantum pœnali denegata hoc intelligit, non quin possit ad exhibendum
7. condicendumq; rem furto sublatam agere. Verùm † disertè huic se op-
ponit *l. 1. §. 3. ff h. t.* Prætor enim simpliciter ait, si quid subtractum erit,
8 judicium non dabo. Excusat † autem VVesenbecium Magnif. atque
Ampliss. Dn D. UNGEPAUR *in not. ad eund. hic* secutum eum fortè
9. Haloandrum, qui ea verba in *d. §. 3.* quod non puto verum
affirmativè legit h. m. quod puto verum. Sed † negativam
lectionem retinendam concludit, primò propter autoritatem
10. Pandect. Florentinarū, quę cæteris sunt vetustiores, & ideò venerabilio-
res. Deindè † propter textus *d. l. 1 pr.* generalitatem, qui ut generaliter
11. positus, ita generaliter quoq; interpretandus. *l. 23. in pr. ff. de S. P. U.* & ubi
lex non distingvit, nec nos distingvere debemus. *l. 8. ff. de postul. l. 3 in f.*
*de off. præsid. gl. ad d. l 1. §. 3. verb. simpliciter.* Ad hæc † hoc quoq; pœnæ
loco statutum est, quod domus, in qua luserunt, publicari debeat, *l. ult. C.*
12. *h. t.* nisi sit domus pupilli non capacis doli vel viduæ. *arg. l. 1. C. de fals.*
13 *mon.* sive alterius miserabilis personæ. Item † nisi sit domus conducta,
& dominus ejusdem sit ignorans. Vel ut † ut domus publicetur, non
tamen res, quæ sunt in ea, prostabunt, nisi ad ludum sint adcommodatæ,
ut scamna Bald. *in l. 1. C. de naut. fœn. & in l. 3. de incest. nupt.* Bart. *in l.*
*ult. ff. de supell. leg.* Tantum.

Christo Triumphatori Laus & Honor!

---

*Tot punctis postquam cecidit tibi tessera dives,*
*lucra capis, nullo diripienda foro.*

Eximio Dn. Respondenti
eruditæ dissertationis Authori
gratulatur

*PRÆSES.*